







HYPOMNEMA FRANCISCANUM.

DIE

FESTIVÆ INTRODUCTIONIS,
rarissimi totius Europæ Clenodij,
Primi in Orbe Sarmatico Novalis,
SACRÆ, AUGUSTÆq; RELIQUIÆ,

D. ANTONIJ DE PADVA;

Ex Ecclesia Archipresbyterali Beatæ MARIÆ *Virginis in Circulo Cracoviensi*,
ad Ecclesiam
FF: Minorum S. FRANCISCI Conventualium,
Publicæ Luci

EXPOSITUM.

MAGNIFICO ac GENEROSO DOMINO,

D. ANTONIO

de Wronow

XIĘSKI,

PINCERNÆ DROHICENSI,
in debitæ observantiæ argumentum.

CONSECRATUM.

Applaudente V. P. MAVRITIO KIEŁKOWSKI,
Ordinis Ejusdem Presbytero.

Anno Domini M.DCCXVIII. 5to Cal: Iunij.

Cum Licentia Superiorum.

CRACOVIÆ,
Typis Francisci Cezary, S. R. M. Cellissimi Principis, Illustrissimi & Reverendissimi D. Episcopi Cracov. Ducis Severiæ; necnon Schol: Novodv: Ordinarij Typogr.

ACROSTICON
In Stemma Avitum
MAGNIFICI ac GENEROSI
DOMINI.



A ſcia quam cernis Patria, Regniq́ levame N,
X erxis præter opus, nil tulit en aliu D.
N ata Polo, famam toto ſibi ſtruxit in Orb E,
I ngenió, factîs, ac probitate grav I.
T oporeos numera, venerata Polonia cuncto S,
E nceladûm genitrix, Aſcia digna Jov E.
O rbis honor noſtri ſplendens, hæc Aſcia degi T,
S armatiam radÿs condecorando ſui S.
N ec quid ineſt Regno, quòd non dedit Aſcia noſtr O,
C uncta trophæa dedit, datq́ cupita boni S.
I lla ſuis Nobis Heroibus auxiliatu R,
I lla Senatores parturit, acta docen T.
V is reſcire quid eſt præſtantior Aſcia? Cæl I
V irtus, honosq́ Soli: cætera Muſa ſil E.
S anctiùs hæc referas; hæc Aſcia Mater honori S,
S emper perpetuum, grandeq́ vivat, aga T.

MAGNIFICE ac GENEROSE DOMINE,

Mecænas Amplissime.



D *festivum in Orbe Lechico Divinissimi* ANTONII *triumphum, Poeticô elaboratum Styló Hypomnema Franciscanum, ut luci publicæ expositum cultiùs appareat: à Tua Gentilitia* Ascia *petit cæsuram.* Magnifice ac Generose Domine, Domine, Mecænas Amplissime. *Et benè, haud enim securiùs honori suo providere poterat, quàm cùm in Tuam incidit securim. Casum illi vereri nefas,* Ascia *hæc, ipsa tantummodò immortalis Architecturæ fabricat opera; etsi alicui cadere contigit, nemini præter hostem, cujus lapsus Patriam stabilivit & erexit, ut occinit Poëta:*

Illa triumphorum moles, augustaq; Regum,
Struxit ad æternum, facta trophæa decus.

Quare meritò dixerim Dominas in honore secures; ab ea namq; temporum revolutione, quâ initia Lechiæ fuerunt, non fuit Senatus sine consilio Torporeorum, non castra sine Duce, non commodum Reipubl: sine Authore, non felicitas Patriæ sine Triumphatore, & quibus nil optabiliùs fuit, quàm rectè vivere, nil speciosiùs, quàm fortiter occumbere; Supremi quoq; Officij decus virtute paraverunt. Etenim statim ab ipsis nascentis Reipubl: fascijs, inter duodecem Palatinos summam Regni molem sustentantes, Ascia *in uno Virorum fortissimo, Primatum & Dictaturam tenuit, à cujus nutu & arbitrio, res Polonæ pendebant felicissimè; & continuata serie prospero successu, nunc magnarum stirpium Parens, vetustissimorum Stemmatum Princeps (unde &* Starza *nomen duxit) optimorum Sarmatiæ Civium efformandis mentibus & ingenijs, cælitus est destinata. Æternitatis opus esset, singulos de* Starzonum Familia *numerare; quorum Progenies ut arena Maris, ut Sidera Cæli multiplicata crescit in ævum. Glorietur Græcia Codris, Agamemnonibus, Achillibus,*

Age-

Ageslais, Herculibus; gratuletur ſibi Roma Manlios, Flaminios, Scipiones, Marcellos, quibus gloriam & honorem comparavit; Orbis Sarmatici Machina, ſine machinatione fatetur, vocaliorem famam non audiſſe, quàm ex Starzonum propagine. Ad labores belli nati, ad pericula fortes, ad uſum & diſciplinam periti, ad conſilia ingenui, ad curam fortunamq; felices; cuncta bona Patriæ, immenſum gloriæ pondus Nomini ſuo vendicarunt. Inter quos Tu emines Magnifice ac Generoſe Domine. Etenim dum excelſas animi Tui dotes contemplor, omnium decora, maximasq; virtutes proſpicio. Non ſatis Tibi erat ab Avitis Majorum ceris nobiliſſimam Generis claritudinem duxiſſe, niſi eam proprijs Virtutum ſplendoribus decoraſſes. Virtus Tua ſemper matura, mores ſemper ſenes, dicta ſemper gravia, Tua modeſtia nunquam in vere, Prudentia ſemper in autumno, gloria in meridie. Magnum certè eſt, purpurato de ſangvine emergere, ſed præſtantius innata activitate & promptitudine ad ſumma honorum pervenire faſtigia; utrumq; in Te ſpectare licet, ſi fas eſt, primam Domus Tuæ inveſtigare Originem. A bonis Xiąż XIĄSCII in Orbe Polono nuncupati. Primus Comes Xiaznenſis Vłoſto fuerat, qui ſuam ad Aras Divorum extruendas conſecravit Aſciam, dum Pagum à proprio Nomine Vłoſtow, majoremq; lacus Goplenſis partem, ad Divini propagationem cultus, obtulit & dedicavit. Alterum Comitem in Xiąż verè Illuſtriſsimæ Proſapiæ Veſtræ coronam quia Stephanum, Cracovienſem legimus Palatinum, qui pari pietate ac fervore decertans, Andrejovienſi Monaſterio multa contulit beneficia. Adeſt deniq; tertius, pari gloria & honore proſequendus, Comes in Xiąż ſtabile fidei, Reipub: & S. R. Majeſtatis columen, quia Petrus; hic pro integritate Boni publici zelans, Iaropełkum Kijovienſem & Vłodymirienſem Ducem perverſum rebellionis Ruſſorum Caput, contra VLADISLAI Regis diadema conſurgens, cum ingenti vitæ ſuæ periculo ad menſam comprehenſum, cōſtrictum deduxit & præſentavit. Longum hic & ſupervacaneum eſſet, ſingulos virtute ac meritis pergrandes tum Comites Xiaznenſes, tum XIĘSCIOS recenſere, ad quorum purpuratæ Majeſtatis recordationem, conſcius tenuitatis ſuæ animus erubeſcit, & ex pulvere immortalitatis, Magna Illuſtriaq; XIĘSCIORVM Nomina excitare & revocare prohibet, quæ eruditorum conſignata monumentis æternis inſcripta faſtis, poſthuma ætas leget, & mirabitur. Prominentibus tamen & in edito poſitis, facileq; ex propinquo occurrentibus admirabundum non commodare oculum, cum propè inhumanum ſit; ſilentio præterire nequeo: Magnificum olim ac Generoſum D. STEPHANVM de Wronow XIĘSKI, ViceCapitaneum, Iudicem, Burgrabium Cracovienſem, cui immortalis gloriæ vindex Aſcia, ob ſummam Virtutum, Prudentiæq; authoritatem, dignum æterna memoria in Cathedrali Eccleſia Cracovienſi excidit Mauſoleum. Nec Germanum Ejus NICOLAVM, Pincernam Cra-

covi-

covienſem, fortem in arena Martis Bellatorem, in Conſilio Catonem, pro defenſione Patriæ Curtium, qui cum Lanckoronſcio Palatino Ruſſiæ, Magno belli Duce, cum Stephano Czarneccio Achille Polono, Svecos & Pannonas Regnô cùm exegiſſet; magnum etiam apud hoſtes Nomen promeruit. Et de proximo ſangvinis Tui Authore, Illuſtri Magnifico ac Generoſo D. ALBERTO de Wronow XIĘSKI, ViceCapitaneo, Iudice Cracovienſi, quid proferam? certè ſi à Magno Divi ALBERTI Nomine & Avito Ejus Stemmate, vernantem in campo Sarmatiæ Roſam dixero, non erubeſcam: omnium ille amorem ac venerationem rectefactorum ſuorum attraxit odore, quia pungere neſciebat, præterquàm quòd ſalutem Patriæ propinans, hoſtibus perniciem fabricaret. Hunc Illuſtris Avito Inſigni CHARZEWSKA in lucem edidit, tenebras enim cauſare non potuit, quæ Gentilitiâ ſuâ Cynthiâ victrici ſignata Cruce, non unum Orbem illuſtravit. Nec Vjeyſcios præterire licet, præcipue IACOBVM Genitricis Tuæ Parentem, Virum ſingulari in Patriam affectu, ſagô togâq; præſtantiſſimum, cujus Nowina inflexo poplite Superum adorans ædes, dignum cum ſua Prole, ſubmiſſa veneratione & homagiô effecit honorium. Non enim novum eſt, Novinam Vjeyſciorum in Orbe venerari, cùm Vjeyſcios ut ſuos Præſules, Poſnanienſis, Varmienſis, Kijovienſis Cathedra non pridem adoraverit. Taceo alios immortalitate donatos, non enim doloris tempus eſt, aſt dilectiſsimam Matrem Tuam, raræ ſæculo præſenti virtutis, ex millibus unam HELENAM obticere non poſſum, in quam DEVS, plus quàm in Pandoram congeſſit gratiarum. Legitur enim vel ex ipſo vultu antiquæ Vlyſſeæ Penelopæ pudicitia, Corneliæ nobilitas, Zenobiæ fortitudo, Claudiæ pietas, quâ illam Superi ad exemplum cæterarum ornavêre. Huc accedunt Seraphicum Ardorem in DEVM ſpirantes ſub umbra FRANCISCI, & Velo CLARÆ latentes, Virtutibus tamen præclaræ & illuſtres Vjeyſciæ, quas olim quatuor, ut Virtutes Cardinales, Seraphicus amplectens Ordo, poſt ſera fata ad æternas transmiſit delicias: ſupereſt adhuc una, quæ præclarum CLARÆ regit ordinem, ZVZANNA VIEYSKA, Conventûs Cracovienſis ad Sanctum ANDREAM Abbatiſſa, hæc quia alijs præeſt, cæteras morum rectitudine ac ſanctitate excellit. Silentio veneror Porembſcios, Dembinſcios, Szembecios, Czernios, Ruſſocios, Lubomirſcios, Tenczynſcios, Opalenſcios, Tarłovios, Oſſolinſcios, imò totas Regni Familias, quarum vocalis in Orbe Lechico fama pridem univerſum adimplevit, Te præ cunctis ſingulari cultu, & veneratione excipiendum, in hac tenui propono pagina. Magnus Tibi debetur honor, ex Illuſtriſsima Majorum Tuorum Proſapia, major ex heroicis facinoribus & invicti animi fortitudine, quam Sarmaticus Mavors ſecuturæ poſteritati hoſtili ſcribit cruore. Deſinunt in alijs magna Antenatorum Nomina, ruunt eorum labore & induſtria parta, excelſa honorum ſubſelia, aſt XIĘSCIANA:

Non

Non patitur lapsum, Te reparante Domus.

Admiranda certè Majores Tui sua bipenni posthumis exstruxerunt seculis, nec Tu ab illis degenerasti; nosti enim optimè Paternas moderari secures, dum illis pro securitate Patriæ pugnans, perennia gloriæ & honoris Tibi, Tuisq; posteris erigis trophæa. Accipe igitur sub Tuam victricem Asciam, *incultum Hypomnema meum à Tuo exornari, Nomine exposcens. Non dubito Divinissimum* ANTONIUM *Tuo Cordi intimum esse Patronum, quia Ejus præclaro gloriaris Nomine; non dubito maximum Te esse honoris Ejus promulgatorem, ergo cum suo Hypomnemate gratiam in conspectu Tuo inveniet. Leges in hoc Hypomnemate condecoratum laudibus* ANTONII *Colossum, miraculis Patrociniis illustratum sidus, videbis orientem sine occidente sanctitatis Solem, quid Tibi ab* ANTONIO *sperandum sit? intellige. Colossus* ANTONII, *illustrissimam Domum Vestram sustentabit, fortunatum sidus pellet adversa, & ne à via æternitatis aberretis, Ducem se exhibebit, Sol deniq;* ANTONIANUS *atticas dispergens noctes, serenos vitæ longioris dies, ac omnia fausta producet & causabit. Quod & ego corditùs exopto:*

Magnificæ ac Generosæ Dominationis Vestræ,

Devinctissimus servus & Exorator

F. M. K.



HYPOMNEMA.

oDe tetraCoLos VItaM AntonII eXpLanans.

PRæſes potentis Pierij jugi,
Cui refulgens Iliadis decus,
Cui celebris Delos, illa
Docta Claros, Tenedosq; ſervit.
Diſtende chordas Aoniæ chelys,
Cantu ſonoro pectora recrea,
Præſens Hypomnema ô Patrone
Threiciô modulare plectrô.
Relinque Pindum quæſo: celebribus
Te junge vitæ laudibus affatim,
Quas laus Achillis Danai, nec
Herculei ſuperant honores;
Inter Minores ANTONII Sacri:
Mentiq; noſtræ Diva Chariſmata
Lumenq; funde prædicanti,
ANTONIVM tenui cothurno.
Audite Cæli quæ loquor! Heſperos
Inter feroces, intima Phoſphori
Vndena ſupra Sæcula annô
Lux, novies decimô & quaternô.

Exurgit. En nunc dives Vlysbona,
Splendore fulges, sunt tibi prospera,
Cùm Sanctiori Prole Cæli,
Te placidam cumulavit agmen.
Lætare totis visceribus, pie
MARTINE: famam de Bulione qui
Clarâ resumis, cum TERESSA
Conjuge Taveria fideli.
Terras replevit Progenies tua,
Iucunda plusquàm Nectareus liquor,
Quæ vix ocellos explicat, jam
Spirat Achæmenios odores.
O hora felix! ANTONIVS sacrîs
Lustratur undîs, in nitidissimo
Templo MARIÆ, jam futurus
Virginei famulus decoris.
Fernandus infans dicitur à Patre,
Fido MARIÆ præsidio datur,
Quis non loquetur? quòd MARIÆ
Filius ANTONIVS vocetur.
Natura solers prodigium stupet,
Annos tenellos, non Pylios dies
Fernandus assumit tenellus,
Et tamen in probitate Nestor.
Inter Paternos magnificos lares,
Et delicatæ gaudia Patriæ,
Polos coruscantes anhelans,
Angelus ingeniô videtur.
In literatæ Palladis artibus,
Quas semper alto corde receperat,
Cum prævia virtute: doctum
Credite Panthoidem fuisse.

Iam

Iam vanitates ſæcula vertere
Cernens, Tageſtæ conſtituit decus
Sequi, valequè dicere Orbi,
Bellerophontis amore captus.
Ter quinquè brumas connumerans, prece
Ops, Regulares Canonicos petit
Vlysbonæ, ſuſceptus exſtat,
Deſtituens proprios Parentes.
Oblitus Orbis, criminis inſcius,
Intaminatum Virgineum decus
Conſervat, & plùs blandientis
Ferre jugum renuit voluptæ.
O magna! verè virtus Achillea,
Non Roma victrix, non Macedonia,
Suos celebret Principes: dum
Apparet ANTONIVS canendus.
Sic luxit inter Canonicos pios,
Virtute clarus, Pallade præditus;
Sol ſicut inter fulgurantes
Emicat, æthereaſq; faces.
Hîc Vatis omen promeruit Sacri,
Ad quem fluebant agmina gentium,
Vt Delphos oraclûm colendo.
Sed ſacer eximios honores
Mundiq; ſpernens ANTONIVS bona,
Solo Tonantis Flamine conflagrat,
Vitamquè quærens ſtrictiorem,
A Patrijs laribus recedit.
Diſcedit alta mente Conimbriam,
Amore CHRISTI proficiens, ubi
Cùm reſpicit Fratres Minores
Limine Marochio reductos:

Quos dextra, plusquam dextra Lycaonis,
Occidit, ipſo durior æquore,
Miramolini Regis; æquô
Martyriô vehementer ardet.
Heûs Cor beatum, nobile Cor, Tibi
Immanis horror, Martyrij ſtrages
Iucunda pro CHRISTO flagella
Cur placet, & cruciatus omnis?
Fervore tali magnanimus Pugil,
FRANCISCI egentis poſtulat Ordinem,
Vt tutiùs deſideratum
Expleat, efficiatquè votum.
Octo ter annos cùm geminaverat,
Adjunge binos, advolat ad Domum,
Fratrum Conimbriæ Minorum,
Veſte Sacra decoratus Heros:
Expoſcit orans, ut titulô Domûs
Hujus Sacratæ gaudeat in dies,
Cûi non fuit negatus; & ſic
ANTONIVS ſequitur Minores.
Implete Fratres pectora gaudiô,
Intaminatus Filius eſt Patri
Amore Divino flagranti,
AVRELII pius ille Vates.
Inter Minores Palladis Arbiter,
Eſt ſicut alter verus Heraclides,
Tantùm requirit pro ſacrato
Numine Therodomantis ictus.
Poſthâc cupitis mentibus Illius
Datur levamen, cùm Lybicum ſolum,
Per Tethyos fluctus profundæ,
Mittitur intrepidus lacertis.

Aſt


Aſt DIVE fruſtrà progrederis vias,
Non hæc Olympi mens pretioſior,
Scyllæ furentis, aût Charybdis,
Non rabidas fugies procellas.
Vix ſcandit alti navigium Maris,
Mittit phalanges mox Boreas ſuas,
Haud Africam mittit petentem,
In Siculum removendo portum.
Nunc mente Divus Numinis agnita,
Cum Gymnaſiſtis, Aſſiſium petit
Pro Congregatione Fratrum
Nobile, Tyro vigil Minorum.
Aſt hinc Latinô progreditur Solô
Cum Gratiano Biſtoniam Patre,
Quem poſcit, ut PAVLI receſſum
Incolat. Inde remotus Orbi
Tormenta jungit triſtia corpori,
Virtutis almos accumulat Stylos,
Miniſter ut CHRISTI fidelis,
Attenuatur amore Divo,
Celatq; ſummè Palladium decus.
Verùm nitentis Multipotens DEVS
Princeps Olympi, Rexq; terræ,
Abdita quæ fuerant repandit.
Cum Gvardiano, cum Socijs, Forum
It Iulium dùm, corda flagrantia,
Verbum Salutis deprecantur:
ANTONIVS cibat agmen illud.
Omnes ſtupentes voce replent Domum,
O! altitudo magna Scientiæ,
Prudentiæqué Divæ, in almo
ANTONIO manifeſta vivit.

Hîc Gvardianus tanta Charismata,
Quæ Numen ingens ANTONIO dedit,
Ad PATRIARCHAM Sanctiorem,
Alite fert citiùs volanti.
Devictor Hydræ bellipotens atræ,
Procul recedat, plausibus affluens,
FRANCISCVS in suo Minori
ANTONIO, magìs inde gaudet.
Consentientis judiciô Patris,
Arcana Divi dogmatis explicat,
Primusquè Sacratæ Minervæ
Ordinis eligitur Magister.
Nunc gesta Flori, barbita Pindari,
Aût ora Tulli, seû Taciti gravem
Sermonis hic excellit ictum,
Valerij, Lucijq; mentem.
Tandem jubetur jussa salubria
DEI potentis, pandere perditis
Mortalibus: proponit absquè
Omnibus Alcinoo favore.
Non Nectar Hyblæ, non Charitum sonus,
Non verba Crassi, de roseo volant
Vultu; sed exit fulgur acre,
Omne scelus populando Mundi.
Miraculorum congerie probat,
Scælesta quod non suscipit Hæresis,
Frangitquè mentium nefanda,
Ad fidem Apostolicam vocando.
Non hîc reducam, quos labor Ipsius,
Quos Svada dulcis, mens precibus pia,
Convertit ad Divos: hoc unum
Musa loquor modulatione;

Vt

Vt inter ignes Syderei Poli
Ocellus errat, cernere nec valet
Stellas micantes, nec nitorem
Ferre poteſt animus: Sacri ſic
Spectando dotes obruitur pio
Splendore laudum. Hic laudis adoreas
Excedit omnes. Ejus aſtris
Maxima laus placuiſſe ſummis.
Sed pro! Camenæ nuntius advolat,
Poſt dena CHRISTI binaq; ſæcula,
Annô ſupra triginta primô
Morbidus Antonius recumbit:
Cùm ferialis ſexta dies adeſt,
Quâ mente CHRISTI vulnera volvimus,
Divus MARIAM poſtulando,
In Latio ſua fata claudit.
Lugete quæſo: Gloria corruit
Natalis Oræ, totius Ordinis
Illuſtre ſolamen, Minorum
Celſus honor, Columenq; grande.
Iam nunc Apollo, nunc Cytharam ſuam
In lachrymoſis fontibus ablue,
Nil præter infenſam canendo
Atropon, indómitasquè Parcas.
DIVINVS HEROS, (Vrbe Patavia
Defunctus in qua,) cùm tumulo datur,
Dolenter omnis turba plangit,
Continuos faciens dolores.
O chara Cælis terra Patavia,
Dotata Divo, quo ſtatuam loco,
Hàs dignitates, quas mereris,
Quos titulos Tibi perſonabo.

Aras ad Ejus, mox căpiunt bonam
Integritatem, quos dolor opprimit,
Sumitq; membra, resquè, cunctus,
Qui petit auxilium salutis.
Immanis illum Styx, Phlegeton timet,
Megæra pallet, cùmq; Sorōbus,
Horrescit & Princeps averni,
Tenariæ fugiunt paludes.
Illô resurgunt corpora mortua
Orante, cedunt magna pericula,
Cedunt & undarum procellæ,
Irriguos minuendo fluctus.
Queîs Padva florens Romuleam Domum
Commota pulsat, PONTIFICEM petit,
In BEATORVM mox supernam,
ANTONIVM ut referat catervam.
Miracla tentant; innumeram struem
Lustrant eorum: quæquè GREGORIO
ANTISTITI descripta NONO,
Poplitibus genibus reducunt.
Post lecta: Præsul connumerat PATREM
Sanctis Spoleti; sic tacitè fugax
Non venit annus post fata: cùm
Canonisatur Atlas Minorum.
O care Divi Numinis ANTONI,
Laudem Polorum gratulor hanc Tibi,
Poscoquè Confratrum Tuorum,
Ante DEI solium memento.
Regno celebri LECHIADVM, tuâ
Regi potenti, Principibus simul,
Gentiquè nostræ, CRACIÆq;,
Subvenias benedictione.




DIVVS ANTONIVS DEC


VSORDINIS MINORVM

VERSVS CENTAVRINI.

Adonius. allida Sens
Pharetr: uterpe cane cantu
Glycon: ulces Terpsichore mod
Pindar: cāde sonos, placidosq; profe
Archiloct t plaudat globus Orbis, & illu
Aleman: mmensi rutilum solium Pol
Anap: Dim: ostri ANTONII cū cano Nome
Phaleu: rnamenta dicate Vos Latin
Alcaic: error Poloni, currite gentibu
Asclepia: unc Gentilitiū ferte Caput, Rosa
Sapphic. uget Id laudem ANTONII Beat
Scazons acrum illa replevit fragrātia Nome
Iambi icina Regna, festinent cum gaudi
Pentā. irtutum series, Prodigiumqué datu
Spōd. nclytus ANTONIUS, referens pietatē vult
Hexā: ive! Cliens minimus Tibi parvum reddo Colossu



Non mirare precor, quòd Divo
sisto Colossum,
Firmus in adversis ille Colossus
adest.




Lusus Leoninus applausu Pöëtico apparatus.


DEsine Magnorum Clio laudare Virorum
Nomina, Magnatum desine fama statum.
Nec laudes memores Tarpeîj Montis honores,
Calliope, truces Mopsopiæquè Duces.
Romanæ Gentis, morum legumq; Parentis,
Vt spargit rumor, sit sine laude tumor.
Vltima laus sit in illo, forti scripta Camillo;
Terra vale dicant, sydera quæq; micant.
ANTONIVS fidus, radians ut in æthere sydus,
Venit tæda Soli, clara lucerna Poli.
Spargit splendores, nudos sectando Minores
FRANCISCI mirô regula læta Virô.
Non tam præclarum jubar, Orbem replet amarũ.
Quàm nos ANTONIVS, Lucifer ille pius.
Mente lege intactâ, quot sunt miracula facta,
Tot quit terra, bonos ingeminare sonos.
ANTONIVS fortis, formidans nil mala mortis,
Numen sectatur, per Quod inesse datur.
Hic paupertatis, summum decus integritatis,
Divus monstra strygis, vicit & ipse stygis.
Hic futurorum Vates, hic regula morum,
Virtutis speculum, pellicit hic oculum.
Divinas Charites, mavult ostendere mites,
Hæreseos pepulit dogma, trophæa tulit.
Ac mihi cum donis Euterpes, atque Maronis,
Si robur fuerit; gloria major erit.
Nunc proprios affectus Ordo pectore rectus
Deponit renovans, jubila plaudit ovans.
Author ego cor do, quem splẽdidus edidit Ordo,
Tu mihi Dive, pias pande, resolve vias.


PARAMYTHETICON,
Per Orpheum Poëticum
CONCINNATUM.















PAROMÆON
Exprimens Nomen DIVINISSIMI
ANTONIJ.

Accipias, Abduc, Ac Aufer Amoris Acervum,
Applausus Alios, Aliger Addat Amor.
Non Navum Narro, Nõ narro Nobile Nomen,
Narravi, Nostræ Narroq́ꝫ Nata Notæ.
Tot Tenuis Ter Thaumaturge Tetrarchia Terræ
Tabet, quot Titulis Tacta Tiara Tuis.
Ordinis Ornatûs Oculis O! Omen Olympi
Observans Omnes, Obijcis Orbis Opes.
Nunc Nimium Nudus Nymphas Nunc Navicularis
Nautæ Navigiũ Naufraga Nympha Negat.
Is In Iniquos Insultus Imitatus IESVM
Incassum, Infringit Id Iovis Imperium.
Vertere Vicinos Versûs, Vbi Voce Vacillis
Vulgi Vulneribus Vivida Verba Vehes.
Sis Socijs Sors, Subsidium, Sacrate Sacerdos
Sospita Sis Salijs, Specula Supplicibus.

SEMPER IN ORIENTE.



ANTONIUM venerare meum, cùm prospicis astrum,
Phosphorus hic roseus ducit ad astra Poli.

PROGRAMMA:

Sanctus ANTONIUS de Padva Thaumaturgus Ordinis Minorum Sancti FRANCISCI.

ANAGRAMMA.

Sors Sancta, Patronus ditans, in charius decus Fautorũ, agmina mundi vincit.

EPIGRAMMA.

CVr metuis? cur conturbaris? Munde maligne,
Ab Iove Magnifico, *Sors* tibi *Sancta* venit.
Advolat ANTONIVS, terræ, Pontiq; *Patronus*,
Ditans terrigenas, sæpè favore DEI.
In precibus nostris, solatur *chariùs* omnes:
Et juvat, ô Nostrûm Gloria, grande *Decus*.
Fautorum servet Nomen, famamq; suorum;
Agmina fortunæ, longiùs atra fugans.
De *Mundi* tenebris educens pectora dura,
Vincit Tisiphonen, Tænariasq; Domos.

Ex eodem Programmate, aliud Anagramma.

Canus Victor hostium, munera dat cunctis, Is vagãtis profundi iras damnãs.

EPIGRAMMA.

QVis solers sensus? Divum laudare valebit,
Ipsum cùm Nomen, laudis adoream habet.
ANTONIVS *canus* subtili flamine Divûm,
Et *Victor* præstans, dum sua, seq; domat.
Hostium inaccessos insultus nil pavet ille,
Hactenus ex illis, nobile sumit Io.
Munera dat semper *cunctis*, hauritur ab illo,
Tanquam de lymphis, hinc capit omnis opem.
Insuper *Is* turbata *vagantis* stagna *profundi*,
Ac *iras damnans*, sæva quieta facit.

Cedite noctivagæ terrarum Sol nitet umbræ

Saxosas rabies mortalis scinde profund

Oceani; fortis pharetrataque Regna Dar

Hævi dimetire via: dicent tibi Gra

Encheleos inter populos aut Nomen El

Sume: Solum peragres ac ipsa carentia luct

Ocyus alta Tonantis quære Palatia Di



ANTONIUS noster quid sit? dicent tibi per

Non tantùm, sed & Orci monstra stupenda ca

Templa Iovis capiunt qui quòd per, sæcula fel

Occiduus nunquam niteat Sol: Numinis inde

Nobilis ANTONIUS jurant: jam sis modo fi

Ingenii, nil Sol habet hic nunc prospice no

ANTONIUS Divus lumine mirifico.

ACHROSTICON
è medio octies legibile.

Sacras quas habet ANTONIVS cùm dicere laudeS
Vt Vilis cupio, tacitô nunc hæreo VultV
It mens In cassum, versatur Honos ubI SanctI,
Nomen vi Nulla tactum, quod fulmeN, & agmeN
Obnitens Observat, & illud cum Omine gratO,
Tangere divinis Titulis vulT. Astra perorenT:
Non satis Antonij in NomeN deducere carmeN
ANTONIVS felix, bonA mundo quòd facit amplA,
Nubes testantur; NumeN, plebs, tum quoq; TitaN
Testis: corda Tot Antonius, quoT sydera traxiT,
Obfuscata Operâ Lethes; ah O! Pater, estO
Nobis Nonne tuis faustum tutameN, & AñoN.
Iugis Is horrendi domitor credas mihI monstrI,
Vt Vixit; domuit solo mala crimina. VisV
Sic inter Superos VIVAT Nostri Author honoriS.

A M Æ B E U M
Super RESPONSORIUM, *Si quæris &c.*
à
SANCTO BONAVENTURA
Ejuſdem Ordinis DOCTORE,
COMPOSITUM.

SPlendidior plaga, quæ depromit munera Cæli
   Fulgida, ter felix hæc tenet ANTONIVS.
Propoſitas lege res mirandas, dextera Divi
   Candida fecit quas & facit ANTONII,
Terribilis fera mors, erratum diffugit, antra
   Carceris, agnoſcunt hunc penes imperium.
Ignipotens procul it mortales vulnere mactans
   Vipera lethali, quid fero tartareo.
Perpetuîs mala quæ nos tangunt cladibûs, armîs
   Fortibûs, illô mox, mox Duce deficiunt.
Indomitus dolor hinc conflagrans, pænaq; peſtis
   Fervida, diſcedunt cum lue mortifera.
Fætidior lepra ter conſumens corpora tabo
   Morbida, præceptîs haud tenet ANTONII.
Æqvoreus Pater, ac immanes æqvoris undæ,
   Longiùs abducunt mox ſcabra ſævitiæ.
Suppliciter ſua tunc poſcentes lumina, membra
   Perdita, procertô vix data ſuſcipiunt.
Sors tua, ſors mea, trux diſcrimen, neſcia fati
   Alea conturbans, dic, vide diſpereunt.
Impatiens opus, ac ullîs vis neſcia vinci
   Arida ſunt, noſcas id decus ANTONII.
Perfidiâ ſine qui non exſtat muneris ergò
   Reſciat, & doctos hic petat Auſonidas.

PROTEUS POETICUS,
MIRACVLA
Annum præsentem 1718. ostendens,

Væ
& Væ
fVgIt & Væ
pLVs fVgIt & Væ
IVs pLVs fVgIt & Væ
DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
pVs fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
CrVX pVs fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
noX CrVX pVs fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
CrVX pVs fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
pVs fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
IVs pLVs fVgIt & Væ
pLVs fVgIt & Væ
fVgIt & Væ
& Væ
Væ

Væ & fVgIt pLVs IVs DIs trVX fons pVs CrVX noX Mors noX CrVX pVs fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ

Væ
& Væ
fVgIt & Væ
pLVs fVgIt & Væ
IVs pLVs fVgIt & Væ
DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
pVs fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
CrVX pVs fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
noX CrVX pVs fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & V
CrVX pVs fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
pVs fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
fons trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
trVX DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
DIs IVs pLVs fVgIt & Væ
IVs pLVs fVgIt & Væ
pLVs fVgIt & Væ
fVgIt & Væ
& Væ
Væ

ſeu CHRONOSTICON MONOSYLLABũ, Divi ANTONIJ Thaumaturgi recenſens. & in omnem partem legibile.

paX
VoX paX
tibi VoX paX
eſt tibi VoX paX
faVX eſt tibi VoX paX
Mens faVX eſt tibi VoX paX
Cor Mens faVX eſt tibi VoX paX
VIs Cor Mens faVX eſt tibi VoX paX
fer, VIs Cor Mens faVX eſt tibi VoX paX
Lar fer, VIs Cor Mens faVX eſt tibi VoX paX
rVs Lar fer, VIs Cor Mens faVX eſt tibi VoX paX
DVX rVs Lar fer, VIs Cor Mens faVX eſt tibi VoX paX
rVs Lar fer, VIs Cor Mens faVX eſt tibi VoX paX
Lar fer, VIs Cor Mens faVX eſt tibi VoX paX
fer, VIs Cor Mens faVX eſt tibi VoX paX
VIs Cor Mens faVX eſt tibi VoX paX
Cor Mens faVX eſt tibi VoX paX
Mens faVX eſt tibi VoX paX
faVX eſt tibi VoX paX
eſt tibi VoX paX
tibi VoX paX
VoX paX
paX

CHRONOSTICON
VOTIVUM.

ILLVstres ops eXstrVXIt qVos IVppIter æqVVs,
Antonio DIVo reDDIte Vota PoLI.
Da teLLVs fLores, pIngVes fer, & eLIge partVs
Ast ego SarMatIæ regna Paterna fero.
QVæso LVbens Pater eXVrgat tVa DeXtera; Noster
ReXqVe tVIs MerItIs prospera, Cara pVtet.
VestIt fLaVICoMos CVI VIVaX InfuLa CrInes,
PrInCIpIs, In VIVIs faC rVtILare Rosas.
NobILe PastorIs NostrI, LæsI ense BIsontIs
In regno NoMen, VIVere posCe Deos.
PVrpVreI, CLarIqVè SenatVs, DIrIge Mentes;
VoX tVa prosIt eIs OrbIs In aXe thoraX.
AffLatV SrzenIaVVa PoLI LVboMIrsCIVs aVCtVs,
EXpeto; Vt aCCepto pLenVs honore fLVat.
LVCIgeros VaVLI sVCCessVs trIna Corona
CompVtet, aVXILIô, sVppetIIsqVè tVIs.
Per te CLara Parens Mea, IageLLonIa PaLLas,
FeLICes horas, pLVraqVè SæCLa Vehat.
Ex te ChrIstICoLIs VIa sIt, SaCrIsqVè MInIstrIs
VIVa saLVs CVnCtIs, sInt qVoqVè Læta IVga.
LVX, paX, LeChIaDIs sIt eqVestrIbVs VnICa LenIs,
AVrea LIbertas, DeLIaCVsqVè ChorVs.
FeLIX qVos IVgIs IVnXIt PhILaDeLphIa CætVs,
ACCInCtè serVet DeXtera posCo tVa.
SanCtIfICô nostros astrô, faC CresCere Fratres,
EIVs ConVentVs panDe neCesse DEO.
ICtVs VI fer CLara PoLonIa qVèIs CrVCIatVr
ManCIpIIqVè tVI, sIs pIVs aVXILIans.

SER-

SERPENTINUM, SACRAS RELIQVIAS DIVI ANTONII PROPALANS.

GRatia magna datur vobis, narrate Poloni,
  Præſulis Auſonij gratia magna datur.
Gratia magna datur, quod quærebatis ab ævo,
  Iam manet in Regno, gratia magna datur.
Gratia magna datur, terris, Regnisq́; negatum,
  Confertur Lechis, gratia magna datur.
Gratia magna datur, Veneti, quod Romaq́; ſervât,
  Hôc Cracij gaudent, gratia magna datur.
Gratia magna datur, vis qualis? Portio menti,
  ANTONII Divi: gratia magna datur.
Gratia magna datur, tam rarum templa Minorum
  Depoſitum ſervant, gratia magna datur.
Gratia magna datur, charum ſcitote Patrónum
  ANTONIVM vobis, gratia magna datur.
Gratia magna datur, mortales currite præſtò;
  A Divo ſemper gratia magna datur.

Metrum Parallelum.

Patronus, Sanctus, Doctor, tegit, implet, adornat,
Terras, Aſtra, ſuos, robore, luce, libris.

Aliud.

Everſor, Tudes, Pavor, evertit, quatit, angit
Crimen, falſa, ſtygem, Flamine, Voce, Cruce.

ANTITHETICON
AD DIVUM.

Susc M præs Magn Patr
ipias usas entes e one.
Er el m d Babyl

AD MUSAS.


Div M v libr lab
inæ usæ eros ate ores.
Doctr f f don fav

CORONIS ÆNIGMATICA.

NOn existo creatura, haud existo Creator,
Inter viventes non fueram, capior
Inter mortiferos fateor sum mortua semper,
Inquè sepulturâ non queo habere locum.
Sum Domini mediatrix, ast aspernor honores:
Cùm regnum capio, displicet aula mihi:
Mundi sum princeps, ignis me tellus & unda,
Non videt ac áër: sto tamen in medio
Ipsa elementorum; perfundor tempore quovis,
Palpebris proprijs non tamen aspicio.
Præsens me nec habet, nec præterito atq; futuro
Hæst, non nascor, debeo prima mori:
Sum cum Dæmonibus, me nunquam cernit avernus
Lætor in Empyreo, nonquè beata vocor.

unus, donum tu Patrone prehende laboris,
Authoremquè Tua protege quæso manu.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0013032

